

# INCLYTO ET ILLVSTRISS. PRINCIPI

ERICO GVSTAVI ELECTO REGI SVECORVM,  
GOTTHORVM ET VANDALORVM.

S. D.



Vsicæ studium priscis illis temporibus, ita habitum est in precio, (præsertim apud Græcos) ut nemo haberetur liberaliter institutus, qui in ea exercitatus non esset. Appellabatur enim ἀμουσος, & prorsus indoctus iudicabatur, qui non aliquam ei studio operam impendisset. Quare & Themistocles indoctior habitus est, quod in conuiuio recusasset lyram, & laudatus Epiminondas, qui artem illam calleret, nec interdum exercere erubesceret. Necq; hoc cuiquam mirum uideri poterit, si diligentius & priscorum hominum consilium & Musicæ præstantiam ac utilitatem expenderit. Habet enim hoc Musica in se latentis energiæ, ut non solum fessos studio & laboribus animos, harmoniæ suauitate demulceat, exhilaret, reparet ac sibi restituat, uerum etiam ut affectus hominum aut concitet aut moderetur, adeo ut efferatos etiam ad lenitatem & mansuetudinem traducat. Id quod olim Poëtæ per Orpheus & Amphiona sylvas & saxa mouentes, & feras mitiores reddentes, tecte expresserunt, quæ quamvis fabulosa uidentur, nata tamen sunt hæc ipsa figmenta ex artis miraculis. Et satis Musicæ uim declarauit Timotheus, Alexandri magni Musicus qui Alexandrum certis quibusdam modulis ad arma concitare, & mutatis rursum uocibus cohibere solitus fertur. Dauidem quoq; Sauli succurrisse cythara sua, cum furore corriperetur, sacræ literæ testantur. Sed nec Pythagorici in tanta uitæ austeritate, lyra usi fuissent surgentes & cubitum concedentes, nisi admirabilem eius uim in sedendis animi motibus experii fuissent. Quæ causa et Socratem mouit, ut iam senex Musicæ operam daret.

A 2 Sensit